





1. Olearij s. Gottfr. / diff. de Morte et vita  
 Sidellum cum Christo, Lipsia 1710.  
 2. Olearij s. Joh. / diff. de correptione  
 Concionatoria, Lipsia 1684.  
 3. ————— diff. de Lachrimis Christi sub  
 ingressum Hierosolymorum fusis,  
 Lipsia 1683.  
 4. ————— diff. de resurrectione spiritua,  
 li Lipsia 1698.  
 5. Oporini s. Joach. / programma de Demon,  
 ratione Spiritus ac virtutis.  
 6. ————— diff. de usu docto Simplici,  
 fato contra scepticos, Goettinga 1738.  
 7. Ortlob s. Joh. Christopher / diff. de Samue,  
 le Iudice et propheta non pontifice  
 aut facerote iudicante Lipsia  
 8. ————— diff. de pacto Davidis et Abneri  
 contra Iacobum, illico, Lipsia 1709

*n. 23*

*DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
OMNISCIENTIA  
DEI,  
QUAM  
ADSPIRANTE OMNISCO,  
P R A E S I D E  
VIRO  
SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO, DIGNISSIMO  
DN.JOH.CHRISTOPHORO  
PFAFFIO,*


*SS. THEOL. D. ET P. P. ORD. CELEBERRIMO,  
ECCLESIAE TUBING. DECANO, UT ET STIPENDII  
THEOL. SUPERINTENDENTE GRAVISSIMO,  
PATRONO ET PRAECEPTORE SUO  
PIE SEMPER COLENDO,*


*PUBLICÆ COMMILITONUM VENTILATIONE  
EXPOSIT*

*RESPONDENS  
M. JOHANNES ULRICUS HELLWAG,  
HEIDENHEIMENSIS  
SS. THEOL. STUD. IN ILL. STIPENDIO.  
AD D. FEBR. ANNO MDCCXVIII.*

---

*TUBINGÆ,  
LITERIS HIQUI FRANCKII.*





## PROOEMIUM.

**D**uæ omnino rerum illarum classes sunt, quæ latissimum omnis scientiæ objectum absolvunt, quarum etiam exquisitior cognitio Christiano homini & necessaria est, & cum volupitate utilis; Ipse DEUS & quæ Scripturæ stilo cœlestia vocamus alteram, alteram res infra cœlestes, terrestria ibidem nuncupari solita, constituunt: *Ἐγενόμη* ista, omni studio summaque contentione inquirere divinior Paulus iubet Col. III, 1. His uti, eorumque usui, ne abutaris, licitam investigationem præmittere, conterranea corporis humani exposcit ratio. Jungendum vero utrumque hoc studium, vel si mavis, unum alteri subjungendum esse, vel ipsa primi hominis primigenia formatio evincere utique videtur; Duplici scilicet ideo

A z

vita

vitæ genere & sensu præditum producere,  
 coque ipso ab aliis creaturis omnibus distin-  
 guere hominem voluit divina creatrix sapien-  
 tia, spirituali altero, animæ divina origine  
 sive creatoris imagine coruscanti apto, al-  
 tero vegetabili, legitimo creaturarum inferio-  
 rum usu conservando, neque tamen morbis  
 mortique obnoxio, ut illorum sedulum age-  
 ret præconem piumque admiratorem, justum  
 vero horum Dominum atque Monarcham,  
 id quod juxta revelationem, ex eripiis illis, re-  
 lictisque post lapsum pauculis ruderibus colli-  
 gi facile potest. Ea autem jam jam post de-  
 plorandam divinæ imaginis amissionem hu-  
 mani intellectus conditio est, ut circa accura-  
 tiorem vel illorum indagationem occupato,  
 quæ suum in hisce tantum terris locum ha-  
 bent, ingenua Dan. Heinsii, solidæ alias, ut vo-  
 care solent, eruditionis laude insignis Viri,  
 confessio repetenda sæpiissime veniat : *Quan-*  
*tum est quod nescimus !* ut ita quæ altioris  
 sunt indaginis captum ejus plane multis para-  
 sangis superent, imo Paulo teste *i Cor. II, ult.*  
 meræ ipsi μαρια & contradictiones videantur.

Neque

Neque vero ideo necessitas scientiæ cujusdam  
sublimioris de DEO rebusque divinis prorsus  
cessavit, quin adhuc, quia & anima immorta-  
lis esse non desit, in eadem vita consistit æter-  
na Joh. XVII, 3. cum enim ex communi  
omnium consensu ignoti nulla sit cupidus, co-  
gnoscenda necessario quæ appetenda, & di-  
ligenda erunt quæ amanda. Est autem, in-  
stabis, viribus id post tristissimam totius natu-  
ræ corruptionem residuis factu impossibile,  
nec qui semel amisit, vitam suam revocabit  
unquam? Hic itaque demum ad vivifican-  
tem divinæ bonitatis gratiam, merito Optimi  
Salvatoris feliciter restitutam, unice erit recur-  
rendum, quæ quippe, uti ipsa novit omnia, ita  
ubi intellectus nostri deficit perspicacia, sua in  
nobis luce radiare incipit. Is enim primarius  
Optimi DEI nostri in revelationibus, à nobis  
sive auditus sive visus beneficio perceptis sco-  
pus, hæc benignissima intentio est, ut perfe-  
ctissimum atque increatum solem blandissimis  
ipsius radiis collustrati contemplari sufficien-  
ter possemus; quid quod, eo intensissimus  
hic DEI amor erga miseros nos mortales pro-

vectus est, ut scrutari saltim ista, quæ scribi de se jussit, laude insuper dignum olim reputatum, divinitusque remuneratum iri, liberalissime promiserit, vid. Psal. I, 1 2. 3. Licebit ergo remotius aliquod de OMNISCIENTIA DIVINA argumentum, dissertationis hujus Theologicae selectius thema constituere, absque adversariorum corruptelis pro virium modulo vindicare. Tu vero Sanctissime DEI Spiritus, qui omnia ipsa quoque *περὶ βάσην τῆς οὐρανοῦ* scrutaris:

Da mihi divinum lumen tenebrasq; repelle  
Verbum collustret pectora nostra Tuum!

## §. I.

**D**elineatur itaque prævio ipsius DEI lumine, Unum ex indiviso illo attributorum divinorum ordine, OMNISCIENTIA *ἰδίωμα*, necessarium ante omnia, ob individuam eorum connexionem, in ipsa simplicissimæ essentiæ unitate fundatam, esse arbitramur, formare conceptum, quendam de iis generalem, præmittereque brevem eorum *οὐαγοφίαν*, ut quo se respectu, tam in ordine ad ipsum DEUM *κατ' ἑων*, tam quoque in ordine ad res extra DEUM *κατ' ἑξ*, habeant, primo statim intuitu constaret. ATTRIBUTUM, seu Entis affectio, in metaphysicis proprietatem dicit, Enti vere convenientem, cumque eo ita convertibilem, ut tamen de ejus essentia non sit, sed illam tanquam radicem sequatur. Conf. Rudrauff. curs. metaph. p. 4. in Theologia vero λόγῳ illo *ῳδὴ τε Θεοῦ*, attributa divina ipfissimam, DEI

DEI essentiam notant, & dicuntur proprietates neque ab essentia Ejus, neque à se invicem realiter, sed in signo saltim nostræ rationis distinctæ, ita autem convertibiles, ut non solum in concreto, DEUM bonum, justum, omniscium, infinitum &c. salutare, sed in abstracto eriam dicere possimus: DEUS ipsa est bonitas, justitia, omniscientia, infinitudo &c. quibus itaque ceu soli DEO propriis, in qualicunque nostra Triunus DEI descriptione differentia loco specificæ, in aliarum rerum definitionibus adponi solitæ, utimur; Unde porro per se patet, eorum quoque divisiones in Theologorum scriptis passim obvias, itidem non esse reales, sed rationis saltim & captui nostro accommodatas, quando e. g. duas quasi illorum classes faciunt: *ἀνεργητικῶν* alteram, alteram *ἐνεργητικῶν* ut Kromajer in Syft. Loco de DEO. p. 179. itemque *ἀνοικοντῶν* seu absolutorum & internorum, atque *κονσεντῶν*, s. relativorum & externorum, ut B. Gerhard. in Schola Pietatis p. m. 16. prioribusque annumerant illa attributa, quæ pro objecto habent ipsum DEUM, & pro principio essentiam divinam, qualia sunt: Spiritualitas, Invulnerabilitas *F*s-entia Simplicitas, Aternitas, Immutabilitas, Immortalitas, Immensitas, Infinitudo &c. quæ suis nostrarum limitibus circumscriptus imbecillior intellectus non nisi sub negatione imperfectionum comprehendere potest; posterioribus quæ pro principio quidem divinam quoque essentiam habent, at in objectum aliquod extra DEUM tendunt, ut, Omnipotencia, Bonitas, Misericordia, Justitia, Omniscientia, Omnisapientia, Libertas Voluntatis, Veritas &c. Superaddit tertiam quandam classem, quæ tanquam consecataria ex prioribus resultet B. Gerh. l. c. & eam complecti ait 1. Omnibus numeris absolutam perfectionem. 2. Adorandam Majestatem, 3. denique Summam Ejus Beatitudinem. Probe autem circa haec tenus dicta observandum est, duos hic præcipue scopulos esse solicite devitandos. Primo quidem, ne ex multititudine horum attributorum mixtionem aliquam seu compositionem Entis Simplicissimi inferamus; cum. uti dictum

dictum est, distinctio eorum realis non sit, sed tantum rationis, neque accidentia ea, uti in hominibus esse solent, in DEO dici queant. Vid. Krom. I. c. p. 107. Secundo, ne per secundi ordinis attributa, quicquam absolutissimæ perfectioni divinæ superadditum in tempore fuisse inferamus, licet respectum aliquem ad res extra DEUM positas id est creatas, habere dicta sint; uti enim per ipsam creationem nihil illi præter novam quandam ex parte DEI minime realem relationem, ita & per manifestata in- & post hanc attributa, nihil omnino accessisse dicendum est; quemadmodum v. g. Principi pio, felici, justo, per exercitium exterrum harum virtutum, quo talem in imperio aliis se præstat, nihil amplius accedit.

## §. II.

Atque his quidem rite ita præmissis, proprius ut ad ipsam instituti nostri executionem nos conferamus, à brevissima explicatione Vocabuli OMNISCIENTIAE rei pertractationem ordiemur. Notat id prout ex grammatica derivatione constat, SCIENTIAM OMNIUM, non eam, quæ in habituum Aristotelicorum recensione locum suum invenire alias solet, utpote aëtibus externis sapius iterandis non acquirenda demum; quin talem potius, quæ: Affectione est, sive perfectio intellectui divino, lumine infinito radianti, naturalis, (in quo se itaque continet non per modum puræ alicujus potentiarum modo determinandas, vel habitus potentiam naturalem facilitantis & perficientis, sed per modum unius simplicissimi æternique aëtus sibi per omnia sufficiens) quæ se ipsum DEUS, & omnia alia extra se, sive præterita deinde sint, sive praesentia, sive etiam futura, absolute seu cum conditione talia plenissime ac intime novit. Conf. omnino Dissert. III. B D. Wölfflini de pœnit. Tyr. & Syd. à Christo prævisa pag. 51.

## §. III.

Unicam esse eamque simplicissimam in DEO hanc scientiam, ut in partes vel species dispesci illa non possit, ex simplicissima

plicissima Essentia Divinæ unitate manifestum est; Ob objec-  
 torum vero diversitatem, diversimode considerari illam posse,  
 ex sequentibus patebit. Duo esse, quæ circa, OMNISCIENTIA  
 DEI versetur; ipsum nempe DEUM, & res omnes extra eum  
 positas, partim in proœmio, partim & anteced. dictum est. Duos  
 itaque etiam quasi in ramos horum respectu illa abit: Naturale  
 vocant Theologi nostrates priorem, seu scientiam simplicis  
 intelligentiæ, qua seipsum DEUS novit, ac omnia quæ licet  
 non sint, nec fuerint, nec futura sint, possibilia tamen sunt, &  
 contradictionem non involvunt; Liberam vero, seu scientiam  
 visionis, qua novit alia omnia, in quacunque temporis & cir-  
 cumstantiarum differentia ea existant. Tertiam his speciem  
 superaddunt è Pontiff Jesuitæ, ut & è nostris Theologis bene  
 multi, quos recenset Quenstedius P. I. Syst. p. 315. & seqq. sed  
 diversissimo utrinque animo: Ji quidem, ut congruentiam  
 gratiæ divinæ cum temperamento & dispositione hominis con-  
 vertendi stabiliant; Causa, inquit cit Wœlflinus §. X. p. 55.  
 cit. dissertationis, introductæ à Jesuitis scientiæ mediæ (inter  
 scientiam simplicis intelligentiæ & visionis) est, expeditior  
 demonstratio concordiæ præscientiæ divinæ cum libero ho-  
 minis arbitrio, nam per illam scientiam D E U S ante omne  
 decretum voluntatis suæ prædeterminantis, actum futurum  
 cognoscit, quid voluntas hominis ex innata sua libertate  
 actura esset, si in talibus vel talibus circumstantiis ista po-  
 neretur: quam vero inepte hæc imo impie fiant postea doce-  
 bitur. Nostrates vero Theologi, quot quot illorum Medium  
 DEI scientiam (à medio participationis sic dictam, rectius au-  
 tem, Scherzeri judicio, mediatorum seu conditionatorum di-  
 cendam,) contra Prædeterministas apud Reformatos admit-  
 tunt, non quasi tertiam aliquam OMNISCIENTIAE divinæ  
 atque peculiarem speciem, sed tanquam commodam saltim  
 scientiæ liberae vel visionis, quatenus ea circa aliquando fu-  
 tura seu non futura, & simplicis intelligentiæ, qua-  
 tenus circa mere possibilia licet futura nunquam sint, esse au-  
 tem posito hoc vel illo rerum ordine possent, versatur, eam.  
 que saltim παχυλοῦς, objective & improprie acceptam denomi-

nationem considerare videntur. conf. Scherz. diss. ad locum Math. XI. Ejus Sylt. p. 46. Gerh. Loc Tom. I. p. 3. 4. Quo sensu nullum inde periculum veritati imminere certissimum est. Cur vero Reformati eam & quo jure non solum quoad verbum sed quoad ipsam rem, omnino rejiciant, infra dispiciemus ubi ex professo in medium afferentur eorum errores, quos circa hoc argumentum fovent. Nota alias etiam distinctio est, Theoreticam inter & Practicam DEI scientiam; illam Micraelius in Heterodoxia sua Calviniana disp. IX. §. 10. describit, quod sit, Intelligentia omnium scibilium, qua DEUS ipse non producit, ut quando dicitur novisse seipsum, quum tamen se non fecerit ipse, peccata, qua non probat. Math. VI. 3 vanas hominum cogitationes quas detestatur scire autem nihilominus dicitur Ps. XCIV. 11. Hanc, quod sit cum ejus voluntate, sive absolute sive ordinata, conjuncta, ut qua secundum eam novit, secundum ideas in mente sua aeternas, velut producere ut sint, ea que promovere & adjuvare. vid. Psal. I. 6. qua itidem in materia Calvinistico-Prædeterministica probe erunt observanda.

## §. IV.

Dari in perfectissimo Ente perfectissimam ejusmodi atque illimitatam rerum omnium scientiam, apud omnes qui Divinum Numen ejusque providentiam seu unice attributo huic superstructam profitentur, in confessio est; Ipsi usque à distinctioni divinitatis notitia remotores Ethnici, DEUM omnia nosse, ex solis natura sua connatis principiis perspexerunt, uti ex sententiis iis probari potest, quas cit. antea Joh. Micraelius Lib. II. Ethnophr. c. XVIII. p. m. 126. contra Aristotelem, cum insanioribus illius aevi OMNISCIENTIAM divinam intra angustos intellectus sui cancellos inclusurum, adducit, è quibus elegantem illam Morhei hisce duobus versiculis inclusam:

Πάντιμος πολύθελος θησαυρεός πε τα ὄντα

Ὄστα πικρέσθε εἴνη, δημ τ' εάσσεται ύπερον αὔτις.

apponere hac cum θησαυρού placuit: quod inter ista non infini sit futura ordinis, quies in ruborem datum olim plures iri Christus docet Matth. VIII. 11, qui omni exceptione majus

Spi.

Spiritus Sancti testimonium fusque se habuisse, vel verbis vel vita morumque ἀνέξα ostendunt. Præsertim vero, ut ad nos redeamus, OMNISCIENTIA DEI è sacris literis evidenter demonstrari potest; & sane plura sunt, quam quæ paginis hisce includi queant, de ea Spiritus Sancti oracula, è quibus unum interim alterumve in medium attulisse juvabit. Ut vero justo hac in probatione procedamus ordine, vindicatum prius divinam perfectionem ibimus ab imperfectionibus nostræ ignorantiae certissimis causis. Tria esse maxima intellectui nostro obstacula deprehendimus, quo minus cognoscere is possit omnia vel pleraque etiam, efficientia: Esse nimurum solent quæ ignoramus, vel absentia & præterita, vel abscondita, vel denique futura, quæ itaque removenda prius ab infinita DEI perspicacia erunt, quam probare illam incipiamus; à priori illum adoptatum illud in æternum nomen  
 הִנֵּה אֶיךָ אָנֹכִי Ero qui ero, Ex. III, 14. invictissimum simul aeternitatis argumentum, vindicat; posterius cum Omniprästantia Regio Psalte Psal. CXXXIX, 7. seqq. sufficientissima argumentorum vi sufficenter adstruxta conciliari nequit; tertium denique omnis plane ut heri ita & hodie expers Immutabilitas, Davidi in Psal. CII, 26. 27. certissima, nulla ratione permittit; Certissimum ergo quoad hæc manet: D E U S OMNIA NOVIT, id quod præterea omnes fere sacri codicis paginae loquuntur: Audit in iis Omnisius noster JEHOVAH יְהוָה Deus Scientiarum 1 Sam. II, 3. quia

I. In genere omnia novit, uti Ebr. I V, 13. diserte Apostolus, omnia, ait, *nuda coram ipso sunt*, περαχνλομίνα aperta & intime præsentia, cum quibus conferri meretur consona iis Jacobi, omnium Apostolorum nomine prolata confessio, Act. XV, 18. Novit autem, non in eminentia illa Peripateticorum genera, secundum quam omnia aliquis inferiora nosse dicitur, qui novit præstantius, quamvis in eo comprehensum præcise non sit, quemadmodum v. g. argentum is habere dici potest qui aurum possidet, licet in auro argentum non insit. sed scientia præsentissima, distinctissimaque, ad vilissima usque objecta sese extendente, ad capillos e. g. capitis nostri Matth X, 39.

*lacrymas*, Psal LVI, 19. &c. unde in numerato quasi habet omnia opera sua, vid. Job. XXXVIII. & XXXIX. ut *innumerabilis* eapropter intelligentia ejus jure optimo pronuncietur Psal. CXLVII, 6.

H. In specie

α.) Absentia, (quæ nobis talia videntur,) sive præterita; Huc referenda esse censeo, quæ *ἀθεωπονερά* de libro aliquo, (quibus ab oblivione vindicare præterita solemus) divino, in Scripturis perhibentur, ut, Exod XXXII, 32. 33. Apoc XX, 12. *γεωπεπῶς* utique de Omniscentia DEI circa absentia seu præterita, sine dubio intelligenda. Inprimis certiores nos de Scientia ejusmodi in D E O præteriorum exactissima multis Ecclesiastes reddit, in jus vocaturum Omniscium Judicem fore afferens *כִּלְנָעַל* *omne absconditum*, sive bonum deinceps sit sive malum. c. XII. ult. quo cum conferri potest 2 Cor. V, 10.

β.) Præsentia, sive manifesta ea sint sive in oculis nostris abscondita; De iis nullum est dubium; De his manifeste satis locus ex Ebr. IV, 13, supra allegatus loquitur, ubi in terminis nullam in oculis DEI creaturam *ἀφανίσαν* non apparentem esse haberur; quod diligenter sicutum pensitans Syracides meridiano sole clariores judicavit oculos Domini, circumspicientes ad omnes hominum vias & profundum quoque abyssi, intuentes hominum corda absconditasque partes, quo & sequentia prioris illius loci verba spectant, nuda insuper esse omnia docentis *καὶ περιεχομένων*, (quæ vox proprie notat ita patefacta, quasi à collo suspensa, excoriata, & per dorsum spinam resupinata, fissa fuissent, ut tota foris & intus oculis patarent, metaphora ab animalium sectione defumta, prout Georgius Pafor eam explicat, qui vid. in Lex. Gr. ad hanc vocem.

Ecquid quofo magis à cognitione cuiusvis alius etiam perspicacissimi absconditum est, cognitionibus in humani cor-dis penetralibus altissime reclusis? quas tamen perscrutari & nosse dicitur Intuitiva DEI rerum abstrusissimarum scientia, in Psal. VII, 10. *בְּחֵן לְפֹתֶר וּכְלוֹזֶת אֶלְחִישׁ* explorat, probat, *וְרֹא גָּדוֹת דָּבָר הָוֹתָה יְהֹוָה* *בְּבָלָטָה* *לְבָב* Ipse cognoscere.

*cognoscens abdita cordis.* conf. Jer. XI, 20. XVII, 10. ubi de se  
cordis scrutinium reniumque explorationem ipse DEUS, falle-  
re nescius, affirmat.

y.) Denique Futura, non solum absolute talia, sed  
posita conditione etiam contingentia; priorem Davides agno-  
scit, multisque eam encomiis ornat, in Psal. CXXXIX, 15. sqq.  
à quo singulari ad universale argumentatus Syracides est cap.  
XXII, 30. adeo perspecta DEO esse omnia, inferens, *antequam crea-  
entur*, ac si creata auctum fuisset. Posteriorem vero luculen-  
tissima illa exempla comprobant, quæ leguntur 1.Sam. XXIII,  
9. 10. Matth. XI, 21. Ibi quidem familiarissimum Davidis cum  
DEO suo colloquium describitur, de obfuturis ipsi si adven-  
tum Saulis instantem Keile esse expectaturus: *An sc. Keilite  
tradituri ipsum sint in manus Regis persecutoris nec ne?* ut fuga sibi  
consulere tempestive posset. Respondit ad hæc benignissimus  
JEHOVAH quid nisi alio se esset recepturus, sit futurum.  
Tria locum hunc meditanti studiose attendenda commendat  
D. D. D. Pfaffius in Colleg. Bibl. msc. quæ inserere heic pace  
Optimi Viri licebit.

1. *Duplicem esse Davidis questionem & du-  
plicem quoque DEI responditionem, quasi si enim illum: an si ipse  
mansurus Keile esset Saul venturus sit, & an posita hac conditione  
Keilite illum sint tradituri?* Hunc respondisse ad utrumque affirmam-  
do, descendet & tradent.

2. *Uti quæstio Davidis non fuerit de  
presenti, quo in ipsum animo sint Keilite atque Saul, sed de futuro,  
quid periculi ipsam Keile perseveraturum infallibiliter maneret, ita  
nec DEUM respondisse de presenti civium illorum affectu, sed de fa-  
tis potius Davidis futurilibus.*

3. *Prædictisse hic DEUM aliquid  
futuribile, quod fieri tamen nec voluerit nec decreverit, unde con-  
stet, dari & stare præscientiam divinam sine decreto.* haec tenus verba  
Dom. D. Pfaffii ad h.1. Alter locus quem ex Matth. XI.  
adduximus, de prævisa agit à Christo Tyriorum & Sydoniorum  
vera ac salutari pœnitentia, quæ posita conditione prædi-  
cationis Evangelicæ miraculis iisdem stipata, qualia inter  
Chorazitas Bethsaithasque ipse patrarat, infœcta certo fuisset,  
quem locum citatus ante B. Wölfflinus in egregio quem super  
illum scripsit tractatu disp. III. solide huic explicationi vindicavit,

cavit, quæ plura desideranti evolvenda erit. Addi his tertius poterit locus è Psal. CXXXIX, ubi Davides scientiam suarum cogitationum D E O adscribit פָּנָס וְלֹנְגִּינְגּוֹ, unde ad oculum futurorum sub conditione dari in D E O cognitionem demonstrari posse ex hac ratione putamus, quia nihil adeo incertum, in omnes horas mutabile, ab objectorum diversitate unice dependens, atque ipsa hominum cogitationes certis nunquam regulis coercendæ.

## §. V.

Atque ita sufficienter haec tenus, opinor, thesin nostram orthodoxam de OMNISCIENTIA D E I nostri dedimus probatam; Regerentem tamen jam ad ista infauustum aliquem Socinum sive alium quempiam S S. Trinitatis hostem audire mihi videor: militare hæc si multum dare velint, pro divina quidem essentia, quam vero soli, quem primam nos personam vocemus. D E O Patri adjudicandum esse sint persuasi. Nostrum igitur omnino erit in arenam cum veritatis nostræ hostibus descendere, pro exoptatissimi Servatoris nostri, Sanctissimique Spiritus gloria ipsius ducibus pugnatur; probabimus, inquam, ex purissimis Scripturarum fontibus, consubstantialem cum Patre, Filii & Spiritus Sancti ὁμοούσια, ex competente iisdem Omniscientia attributo æque perspicuum, soli enim tribui id D E O posse Jesaias c. XL I, 22. 23, clare inuit, quando pro Diis haberri debere negat, qui futura prædicere nequeant, id quod scientiam eorum utique supponit. Secundam primo quod concernit Deitatis personam J E s u m Christum, αὐταύρασσα illud τὸν δόξαν τῷ χαρεγέτερῳ τῷ πατρὶ τὸν ιωάννεν, omnia illum in statu etiam infimæ exinanitionis constitutum scivisse re ipsa & vere uti Formula nostræ Concordiæ notanter loquitur p. 782. ed. Rech. Scire imo debuisse si quidem Messia promissi personam sustinere voluisse, Jesaias testis est c. XI, v. 2. Requiescat, inquiens, super eo, quem versante, radicem Jesse & virgultum vocat de radice ejus ascendens, תַּעֲלֵמֶת Spiritus Scientie; Johannes experientia edocet confirmat Evangelii sui cap. II, 24. 25. Ipse J E s u s se non credebat iis inde colligens, eo quod ipse nosset omnia nec opus habere

beret ut quisquam testaretur de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine; cui reliqui etiam Apostoli assentuntur, ut videre est Joh. XVI. 30. Scimus nunc quod seias omnia, nec opus habes ut quis te interroget, per hoc credimus quod à DEO exieris. Alia argumenta huc imprimis quoque facientia, desumta à judicio universali à Patre ipsi tradito, ab opinionis contrariaz absurditate &c. brevitatis studio studiose omitto, qui plura desiderat adire haud gravabitur B. D. Thummii *Tatianorum yegyptiorum*. p. 118. seqq. 548. fqq. Ejusdem repetitionem fanæ & orthodoxæ doctrinæ de Majestate Iesu Christi p. 74. 291. fqq. satis interim superque dicta probant Omnicium illum esse, in quo omnes & sapientæ & scientæ divinæ thesauri sunt reconditi; unicum adhuc monendum restat, non obstat assertionis hujus veritati, verba Christi Marc. XIII, 32. expressa, quibus ultimum diem, non autem fibi, quæcumque enim Pater habet ipsius quoque sunt, Joh. XVI, 15. sed *discipulis suis* & nobis ignorare professus est, ipsum enim horam nescivisse illam dici nullo modo potest, & quomodo ignorare murum poterit qui quæ ante murum immediate sunt *scire se omnia dicit?* merito querit hic Basilius citante Thummio l. c. p. 564. ita quomodo Christus homo horam ultimam ignorare dici possit, qui quæ immediate illam præcessura sunt accurate novit non videmus; posito autem nescivisse eum quædam naturæ actu, secundum illam scientiam habitualem & experimentalem, quæ crescere cum ipso ab infancia debuit, juxta Jes. VII, 15. 16. & revera uti & sapientia Luc. II, 52. crevit, nihil tamen divina ejus Scientiæ, naturæ humanae cum ipsa τῇ λόγῳ ἀποστολη com-municata, detractum iri confidimus.

Spiritu Sancto autem testimonium Paulus perhibet 1 Cor. II, 10. *Spiritus*, inquit, *scrutatur omnia* (non quidem scrutinio operoso, sed actu uno, simplici, æterno,) *ipsas etiam profunditas Deitatis*, & quidem cum exclusione omnium extra DEI essentiam positarum rerum v. 11. Suo hoc testimonium calculo ipse Christus adprobat Joh. XIV, 26. *Spiritus*, dicens, *quem misericorditer in nomine meo Pater mens, omnia vos docebit, quæ omnino nosse prius ipse debet;* denique certissimæ id evin-

cunt

cunt futurorum prædictiones, quæ spiritum sanctum infallibilem agnoscunt authorem, de quibus vide Act. I, 16. 1 Tim. IV, 1. 1 Pet. I, 11. neque hic opponi verba Christi Joh. XVI, 13. possunt, spiritum sanctum nihil à se ipso locuturum, sed quæ audierit communicaturum fore docentia, non enim ad demonstrandam scientia divinæ, ex evolutione aliorum locorum satis claræ, originem, sed ostendendum potius doctrinæ coelestis à Patre, Filio, spirituque proficicentis consensum, proleta fuisse, contextus docet. Reliqua huc pertinentia suppleri facili negotio poterunt ex cit. D. Thummii *Apostolæ Theologica pro Deitate spiritus sancti conscripta* p. 69. 104. & seqq.

## § VI.

Optandum sane esset, ut sacrosancta haberetur ab omnibus in quorum efficacissimum solamen revelata propositionis nostra: DEUS OMNIA NOVIT veritas est, quo magis dolendum, multos admodum, maxime fallibili rationis sue de præsentibus nunquam satis certæ, ductu seductos, exoptatissimam futurorum præscientiam, non sine gravi in ipsam ab hac separari nesciam DEI Omnipotentiam injuria, vel verbis vel factis impugnare; De his quid sentiamus sub finem dissertationis paucis exponere animus est. Duplex modo nominavimus hominum genus sinistre, vel verbis vel factis, de præscientia judicare solitum; Inter istos prefertim (quod sci-am) Sociniani eminent atque Reformati quibus è Pontificiis Jesuitas, nescio quam præscientia divinæ congruentiam cum libero hominis arbitrio, sub media scientia involucris obtrudere nobis studentes, merito accensemus. Neque vero talia legens prolixam illorum refutationem B. L. expectabam, quæ nisi ab exercitatisimis in palæstra disputatoria viris adorneretur, ridicula evadere solet, defensurus saltim meam thesin sequentia enarrabo, atque ita quod gregarios quoque milites decet conabor. Oppido quidem Socinianos falli vel inde liquet, quod per scientia DEI circa futura negationem fidei sua quam promissis divinis illi solum firmiter innixis habere debent, lubricum imo plane nullum faciant; Ponam e. g. gratiosissi-

tiosissimam de piis ex omnibus calamitatibus liberandis promissionem sapissime in utroque fœdere repetitam, dicat mihi Socinianus aliquis, qua illam mihi ratione indubitate applicare in individuo possum, nisi in omniscium DEUM olim jam de mea salute solicitura, fiduciam omniem reponere liceat, an non facillimus ita desperationi, animis hominum exitiali, reddetur aditus, sublata è paterna DEI nostri providentia futurorum casuum necessaria declinatione? Deinde, vaticiniorum veritatem in verisimilitudine illa DEO indigna apud Socinianos fundatam, fallibilem quia verisimilis, merito rejicimus. Porro iniquam eorum causam verba pœnitendi, videnti, rogandi, expectandi, & quæ id genus alia sunt futurorum scientiam immunuere visa minime juvant; aut enim fieri iis in Scriptura quædam dicuntur, quando manifestantur, exemplo sit locus Gen. XVIII, 21. descendam & videbo an fecerint Sodomitæ omnia juxta famam qua ad me pervenit, ex contextu constat, manifestare his verbis Abrahamo DEUM voluisse, suam de illorum extrema impietate scientiam; aut ἀθεωτῶν, quædam dicuntur, Georgeus, ex aliorum collatione explicanda. Denique nihil quicquam instantia illa contra nos efficient, qua ne deroget futurorum cognitio omnium Scientiarum metuunt, quando certa illa esse & determinate vera negant; habent enim suam quoque contingentia certitudinem, suamque veritatem, licet nos in utram illa partem eventura sint fugiat, à nostri vero intellectus ignorantia ad divinæ Scientiarum negationem non valet consequentia. Reformatos quod concernit, male eos omnium quæ futura sunt principium absolutum suum decretum constitutæ, probandum erit; Non equidem, requiri ad omnia concursum divinum contra Act. XVII, 28. sed causam eum esse, vel proximam & formalem rationem cur res aliqua sit futura, saltum negabimus, ne peccatorum, quæ quippe etiam Scientiarum divinarum & quidem Theoreticarum (de qua S. III, dictum est) objectum sunt, DEUM faciamus authorem. Probe itaque contra eos observandum est, quanquam in intellectu divino utpote simplicissimo actu

C

non

non detur prius aut posterius, scientiam tamen in signo rationis priorem decreto aliquo voluntatis esse, uti ipse intellexit ipsa voluntate prior concipitur, quæ vero objectum suum plane non necessitat, circa quod versatur non efficiendo sed presupponendo potius ac contemplando; Hoc certum est, infallibiliter eveniunt quæcunque DEUS præscit futura & necessario, necessitate autem non consequentis, sed consequientiarum; exemplo lucem distinctioni huic affundere haud erit superfluum; futura posita conditione contingentia, nihil aliud quam propositiones ejusmodi hypotheticæ sunt: Si hoc vel illud ponas ita vel ita, hoc vel illud fiet. v. g. si Tyrii & Sydonii miraculis confirmatam doctrinam Evangelii audivissent à Christo Chorazithis Bertha hisque prædicatam, fuisse conversi; Jam si per conversionem logicam hypotheticam hanc propositionem in cathegoricam resolverimus, talis evadet: Tyrii & Sydonii, qui miraculis confirmatam Evangelii doctrinam audierunt, sunt conversi; & hac ratione ostenditur non quid determinate futurum sit sive consequens, sed sältim quæ rerum connexio quis consequientiarum ordo, qui plura amat conferat Micr. Heterodox. Calv. disp. IX. Supereft in recensione errorum Calvinisticorum, ut quæ supra §. III. promisimus, nunc exsolvamus, tribus verbis ostendendo cur & quo jure innoxiam ex mente nostrorum Theologorum Scientiarum appellationem repudiare prorsus soleant. Notandum hic ante omnia est, item de voce in sensu Jesuitico quem & nos damnamus, spectata non esse, sed cum voce ipsam futurorum sub conditione contingentium scientiam, cum absoluto decreto incompossibilem, ad hoc salvandum, DEO negari. At fatis id quidem in infinitam Ejus Scientiam injuriose, ut constare ex iis potest quæ §. IV. Seçt. γ. & paulo ante contra Socinianos attulimus, quæ repetere supersedemus, ad finem potius properantes Jesuitas, solos ex prima hostium acie adhuc intactos, aggressi. Abutuntur hi præscientia divina circa futura contingentia, ut supra monuimus, ad stabiliendum concursum gratiarum divinarum

divinæ cum libertate hominis convertendi, atque ideo medianam suam Scientiam uti §.III. eam descripsimus, exco-gitarunt. Cum vero ipse ille concursus gratiæ divinæ DEO plane sit indignus, nullam quoque huic superstru-ctam medium Scientiam esse manifestum est, quis enim DEUM efficientem conversionis causam credat ab objecto convertendo, quod mortuum, ad conversionem ex se semper ineptum est, ita determinandum esse, ut præcise hoc vel illud temporis momentum illud conversurus, expe-ctare debeat, quo converti & non alio possit; deinde, me-dia Jesuitarum Scientia entia multiplicat præter necessita-tum, aut enim objectum ejus spectari potest ut futurum vel non futurum, & ita ad Scientiam quam visionis vo-cant, aut ut possibile vel non possibile, & hoc modo ad Scientiam simplicis intelligentiæ referendum utique erit. Ut taceam ineptissimum simul hoc inventum, in quo mi-rifice sibi placent, esse, conciliationi gratiæ divinæ (quam destruit potius) cum libero hominis arbitrio minime par, quod ulterius probat laud. Wölfflinus loc. cit. p. 58. Exu-lent itaque etiam hi cum omnibus divinae veritatis hosti-bus donec ad saniorem mentem redierint. Ultimi deni-que qui vita sua morumque ἀταξίᾳ testantur parvi se Omniscientiam D EI facere, plures eheu sunt quam qui enumera-ri queant, suis nobis coloribus depictos Sacer il-le moralium Interpres Syracides siffit cap. XXIII, 27. *Quis me, stultus in corde suo dicit, videt, tenebrae circumdant & parietes operiunt me, & nemo circumficit me, quem vereor? delictorum meorum non recordabitur Altissimus.* Capitalis hos erroris Prophetæ reos pronunciavit Jes. cap. XXIX, 15. 16. *חָזֵה תְּפַעֲמִיקֵת בִּתְנוֹתָה* inquit: *Ve abscondentibus se à Jezoba, ad occultandum consilium, ut sit in opaco illorum opus, & dicunt, quis videns nos & quis est cognoscens, (qui pecca-tis, in montium quasi molem sensim ex crescentibus, oculos Optimi DEI, gratiissimo alioquin erga pios lumine mi-cantes impediunt, id quod peccatis tribuitur Jes. XLIX, 2. adeo-*

que in remotissimas ab iisdem valles ipsos se deprimunt; infelicissime simul præludentes, isti impiorum conditioni, quam ita infelicem futuram Christus à priori occultatione serio nos abstracturus, prædixit Luc. XXIII, 30. coll. Apoc. VI, 16. ut in ea constituti montibus operiri & vindicem hoc modo Justissimi Judicis oculum effugere posse, sint anxie, sed frustra, exoptaturi. quando nimurum sicut pergit Propheta ob perversionem suam sicut lutum signi reputabuntur, nunquid enim opus dicet ad factorem suum non is fecit me, & signum ad suum signum non intellexit; Utinam altissime omnium istorum mentibus infixa oculisve præfixa tria ista semper hærent: Aurem supra nos esse qui omnia audiat, oculum qui omnia videat, & librum in quo omnia cogitata, dicta & facta inscribantur, plures sane futuri essent, qui in id elaborare unice studerent, cujus remuneratorem liberalissimum extitulum se DEUS promisit, contra, sibi cavecent, ne quid justissimo Judici exosum admitterent, & sic æternum omnes gavisuros de Optimi DEI sui omnium, futurorum in primis, Scientia fore pollicerer, experturosque cum in hac vita, solidum esse & immobile in omni fortuna illorum solatium, qui ad Petri instar Joh. XXI, 17. ipsum Servatorem Omnisclum testem invocare possunt sui in illum amoris, tanquam de reciproco affectu certissimorum, tum vero quam maxime in altera ex Rom. VIII, 29. non suos praescivisse solum, sed & ordinasse ad συμεσθίαν της εικόνος της ωτῆς OMNISCIMUM Patrem, cui cum Filio & Spiritu Sancto sit gloria, honor & imperium in secula seculorum

A M E N.




00 A 6314

56.

4

41



B.I.G.



*DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
OMNISCIENTIA  
DEI,  
QUAM  
ADSPIRANTE OMNISCIPIO,  
P R A E S I D E  
VIRO  
SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO, DIGNISSIMO  
DN.JOH.CHRISTOPHORO  
PFAFFIO,  
SS. THEOL. D. ET P. P. ORD. CELEBERRIMO,  
ECCLESIAE TUBING. DECANO, UT ET STIPENDII  
THEOL. SUPERINTENDENTE GRAVISSIMO,  
PATRONO ET PRAECEPTORE SUO  
PIE SEMPER COLENDO,  
PUBLICÆ COMMILITONUM VENTILATIONE  
EXPOSIT  
RESPONDENS  
M. JOHANNES ULRICUS HELLWAG,  
HEIDENHEIMENSIS  
SS. THEOL. STUD. IN ILL. STIPENDIO.  
AD D. FEBR. ANNO MDCCXVIII.  
TUBINGÆ,  
LITERIS HIOBI FRANCKII.*